

Amicus TUCCIO:  
 — Quaeso, quota hora est?  
 — Si a me horam cognoscere cupis,  
 solvendae tibi erunt libellae quinque.  
 — Quid hoc?  
 — Quo prius horologium pignore eximam.

**Aenigmata**

I

*In casu  
anay*  
Ictibus assiduis me fabri dextera pulsat.  
Principium muta: rex tibi priscus adest.

II

*ale-wda*  
Penna madens uno si dicitur oris hiatu:  
dulce melos modulans aethera tranat avis.

FR. PALATA.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Pastor, Castor;*  
2) *Terra, Serra.*

**LIBRORUM RECENSIO**

SYLVIUS ROMANI, *Summa iuris canonici linea-  
menta* (Romae, MCMXXXIX, apud Auctorem,  
*Via Machiavelli, 50* — Ven. ital. lib. 29).

Foecundissimus auctor, qui studia sua canonici iuris, universum ius canonicum et finitimas provincias exploratura, edere coepit, post amplum de norma iuris volumen, nunc alterum vulgavit, summa iuris canonici lineamenta describens; quo quidem plurimos fines sibi propositi. Quum enim persuasum haberet, dandam esse clero universo integrum iuris canonici visionem, quae in scholis ex temporis angustiis perfici nequit, ex universo Codice Iuris Canonici sistema, quod vocant, tyronibus utriusque cleri ita suppeditandum curavit, ut non membra disiecta, sed corpus totum apte compostum ac vivum ob eorum oculos poneret. Id pro seminariis theologicis; pro facultatibus vero theologicis auctor complementum quoddam ministrare voluit iis, quae passim vulgata exhibentur in operibus iuris publici ecclesiastici.

\* \*

ERRATA CORRIGE. — Qui typographiae cognitionem aliquam habent, sciunt, post machinas inventas non typos singulos, sed integras lineas componentes, non semel fieri ut, dum aliquis error in altero verbo emendatur, alter in novae lineae formationem irrepatur. Itaque apud nos ex. gr. recens apparuere illum pro illud, summarius pro summarium, demonstrandum pro demonstrandam, et sim.; quos errores benignus lector ex sese corriger non dignatum fuisse confidimus. Nobis hodie cordi est titulum carminis HIRPINI nostri, in huius anni fasc. II editi, in suam formam restituere, quae erat: *Deiparae Immaculatae, Christianae Ecclesiae praesidio; non quidem Deiparatae Immaculatae... praesidium.*

A. R.

## IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSI C. DE ROMANIS, Ep. Porphyreonen.  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


# ALMA ROMA

QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE


TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



Ann. XXVI

Romae, mense Maio MCMXXXIX

Fasc. V

# MONITA

Apud Commentarii Administratorem venumdantur JOSEPHI FORNARI Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

*(Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubent, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).*

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituius libellarum 650 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1300, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*

## DE SACRO FATO URBIS ROMAE<sup>1</sup>

Arcanum nomen est ROMA, nec minus Romae fatum arcum; Urbis nimurum aeternae nec magis saeculis, queis gloriatur, praeteritis, quam aevis quae ventura praesentit. Urbs namque haec est, quae, pagana in Tiberis ripa dum condit pedem inque sacris catacumbarum ambagibus, caput ad astra extollit, ut flectat coram throno Dei. Quodsi, ut maximus eius historicus scripsit, fabularum caligo origines eius obumbrat, quia datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat,<sup>2</sup> Dei Providentia, quae mundi orbem gubernat, atque immutat per tempora regna, deque gente in gentem exque una stirpe in aliam homines ac nationes consternat et erigit, Romanam Urbem gentemque Romanam in eum ordinavit instruxitque finem, qui naturalem sapientiam omnem praetergrederetur, inque eumdem occulce

satagens, humanarum contentionum facinorumque inscias intendit undique sortes.<sup>3</sup> Roma enim, in orbis caput electa, inque eius religionis sedes ac centrum, qua una homines rite Deum adorant, multa per saecula variasque per caedes, quae nec virtutem eius vicerunt nec animum, hinc bellica virtute inde vero publica civilique prudentia regum, consulum, Caesarum, terrarum imperium late obtinuit, prophetae Sybillarumque visionibus vatuumque carminibus divinatum sine fine perenne. Hoc quidem fuit non peritum. pretium virtutis, quod Deus, qui bene facta cuncta remunerat, quamvis ea brevia quamvisque caduca, fortibus Quiritibus largitus est, diu licet ignaris consiliorum eius arcanarumque voluntatum.

Quumque igitur sub Romana ditione totus est orbis in pace compositus, tunc Iesus Christus Dei Filius, factus homo mundique Redemptor, Rex, Pontifex, Prophetae ac plus quam Prophetae praetermundane aeternitatis, in terram descendit, natalisque sui diem fecit centrum ac plenitudinem aevi caduci, suoque Nomine ae-

<sup>1</sup> Pluribus sociis, praesertim novis, morem libenter gerentes, iterum orationem edimus, quam PIUS nunc PP. XII, tunc Purpuratus Pater Eugenius Pacelli, abhinc tres annos dixit studiis Romae Christianae auspicandis apud Urbanum Institutum ad Studia Romana provehenda, atque pro sua benignitate concessit ut latine redditia ex nostris paginis vulgaretur.

<sup>2</sup> Liv., *Ab urbe condita*, Praefatio.

<sup>3</sup> ALIGH., *Conviv.*, IV, 5).

vum iniit, cuius non sit terminus nisi in saecula aeterna.

Sed Eum nescit Augustus qui, edicto universi imperii censu, e Nazarena domo ad Bethlemiticum specum Mariam abduxit; Tiberius ignoravit; Claudius Nero in primis fidelibus eius persecutus est.

Ne tamen quisnam vestrum miretur Christum, — Viam, Veritatem, Vitam, — despici a sapientibus mundi; nam veritas odium parit; virtus autem, quo splendidior et altior, eo magis aemulationem, irrationem, iniurias non minus ab impiis, quam a terrenorum bonorum voluptatumque asseclis iuge provocat.

Sed humanae faces, Christi martyrum textae corporibus, eam lucem edidere, quae longe vinceret sive imperialium aedium, sive hortorum splendorem, sive Fori cuiusvis imperialis omnem magnificentiam; dum per urbani soli catacumbas Pontifices, cumque eis sacerdotes, virgines ceterique Christifideles, fundamina condunt ac necunt novae Urbis novique Imperii, cui non amplius Caesarea legionum aquila, sed Iesus Nazareni erit pro vexillo Crux.

Non igitur confundit Deus sapientiam mundi huius? Quis enim romanis praetoribus iurisque consultis sapientior? Aut quis magistratibus illis imperatoribusque prudentior unquam? Deus autem — Bos-sueti verba sunt Episcopi celebratissimi —, <sup>4</sup> ut sapientiam hominum unus novit semper alicubi mancam, eam ipse illustrat eiusque dilatat fines; at si forte sibi suaequa infirmitati et ignorantiae relinquit, ita obcaecat eam atque evertit, inque se ipsam confundit, ut versutiis ac fallaciis denique implicetur atque obvolvatur suis.

Sic tandem perficit Deus metuenda iudicia sua, ad normam iustitiae non fallibilis unquam.

<sup>4</sup> Discours sur l'histoire universelle, 3, 8; Œuvres complètes, Paris, 1846, V, p. 481.

« Nam ipse est qui per remotas causas ultimos ordinat eventus, eaque interdum, quae tamdiu resonant, ingentia vulnera hominibus infert; quos si ipse voluerit ictu gratioso ferire, vel decreverit eorumdem imperia delere, omnia tunc humana consilia nulla, irrita ac vana cuncta cadent ».

Non secus publica Caesarum prudentia tunc cessit Christo; quae, videlicet, Iovi timens Deaeque Victoriae, operibus magnum hominum, queis coram triumphi magna signa adhuc inflectebantur, intentis consiliis et cogitationibus contra innocentes cives mala cuncta molitur, quibus unum erat summumque crimen pro humanis diis, nemini sospitando potentibus, unum vivum eudemque aeternum adorare Deum.

Tunc igitur ethnica sapientia, suaem permissa impietati, manum ultricem infuste tendit in sanctos, qui, vel per christiana tempa illa prima, vel per subterraneas Urbis cryptas, mysticum adorabant Agnum, qui tollit peccata mundi, Amore nisi Speque Fideque, unde eis fuit de mundo victoria.

Ex quo duo hinc pugnarunt exercitus; tenebrarum alter, alter autem supernae lucis; dumque hic per catacumbas latet, ille per amphitheatra perque Iovis tempa grassatur. Nox tamen est per christiana cubicula dies; sol autem per superba perystilia Venerisque Vestaeque tenebra est.

Nam per veneranda loca perque cubicula noctis, quae incursum sacerdotium, quae pietas ac virginitas, quae sanguis denique et holocausta martyrum sancta faciunt, Dei consilia et manus novam iam condunt, exstruunt ac fingunt Romam, eamque Petrianam, Piscatoris Galilaei novique Pastoris populorum animarumque imperatoris; cuius sit socius, quamvis auctoritate minor, Paulus, gentium Apostolus, ut novi quasi consules christiana reipublicae uteque consulat.

Haec est itaque Roma arcanum Dei, Tiberisque fluminis mysterium ultimum,

cuius undae erunt animis pro novo Iordan

..... qua semper cogitur ora  
quisquis non fuerit per moestum Acheronta reli-  
[ctus.<sup>5</sup>

Haec nempe Roma est, Cesarea potior,  
quae

per damna per caedes ab ipso  
ducit opes animumque ferro...

quamque:

Menses profundo, pulchrior evenit.<sup>6</sup>

Nam, equidem, e sacris illis favissima splendidissima emergit post Constantini vexilla martyrum purpura pulchra, conspicua pontificum infula, induita virginum liliis, lauris coronata fidelium, radiisque fulgida solis, Caesarisque et Augusti trophyis vel saecularibus inclyta longe altiori triumpho.

Non alio igitur arcano Dei divina Romae fata in Christi Fide conduntur, cuius est de omni « paganitate » sive veteri sive recentiori victoria. Iamque ex hac Roma Christi Ierusalem nova nascitur: « Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae ». <sup>7</sup>

Videte igitur populum novum, acceptamque Deo civitatem, ductu Pastoris ac magistri nutu credendique agendique sapientia infallibili, gradientem in saecula, per barbaros omnes, post Crucis vexillum, ad sacros quidem nec cruentos tamen triumphos, atque ea ingeminantem cantica Fidei, quam doceat universas gentes. Ius enim hodie sunt illi verba ac iussa Dei; vis autem non in astu neque in versutiis falsae mendacisque prudentiae est, quae iustitiam veritatemque mentiatur, sed per augustum iter moralis sapientiae movetur, editae lumine vultus divini, perque eum iustitiae splendorem, qui magnificat gentes. Nam per redemptionem animorum super-

<sup>5</sup> ALIGH., Purg., II, 104.

<sup>6</sup> HORAT., Carm., IV, 4.

<sup>7</sup> Ephes., IV, 4.

naturalem e Christo oritur atque nascitur nova hominum generis humanitas; quae et cuncta collegens et omnia sibi addicens quaecumque fuerint Athenis aut Romae optima, genus omne hominum ad metam denique adducit, non mendacis iam libertatis, fraternitatis, aequalitatis, quibus, iuxta Paulum, Gentium Apostolum,<sup>8</sup> « non est Gentilis et Iudeus, barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia et in omnibus Christus... ».

Itaque ut Roma urbs decreto Dei eligitur una sedes Pastoris Christianorum, ovinusque unius, sic una eademque est illis meta unitatis humanae, quam Jesus Redemptor in pervigilio Passionis ac Resurrectionis auspicabatur; neque ea apostolis tantum suis, sed et omnibus, qui per eorumdem verba credituri essent in Eum, pro quibus cunctis Patrem exorabat: « Ut omnes unum sint sicut tu, Pater, in me et ego in Te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quod Tu me misisti ». <sup>9</sup> Quamobrem nos, Christo geniti, credimus in Dei amorem pro nobis: inque ipsa figura veteris atque idololatridis Romae, quae tot iam populorum exstitit mater communis, sibique et cives et filios ex ipsa barbarorum sobole optavit:

Fecisti patriam diversis gentibus unam,<sup>10</sup>  
praeannuntiatam hanc agnoscimus Romanum Christi, omnium Ecclesiarum matrem et caput, cunctisque Dei filiis communem patriam, iisdemque per baptismale lavacrum gratiamque regeneratricem futuris cibibus supernae illius Urbis, cuius Romanus civis est Christus.<sup>11</sup>

At, si communis Christifidelium mater est Roma, non talis est nisi per Romanum Pontificem Summum, Christi Vicarium ac Petri heredem, Principis Apostolorum, cui Christus ipse commisit mu-

<sup>8</sup> Coloss., III, 11.

<sup>9</sup> IOAN., XVII, 20, 21.

<sup>10</sup> RUTIL., NUMESIAN., De reditu, I, I, c. 1, 63.

<sup>11</sup> ALIGH., Purg., XXII, 102.

nus pascendi oves et agnos gregis sui totius. Quare pulchrum et gratum est cogitatu communis Patris Vaticanas aedes easdem esse communem domum omnium Ecclesiae filiorum, quotquot videlicet e cardinibus terrarum quatuor ad Romanum Pastorem oculos animumque convertunt.

Nam, ubicumque gentium vivit Christifidelis aliquis Romae filius, Roma ibi vivit; in Vaticano autem colle, super Petri sepulchro, sublime extollitur culmen Urbis, suum quod lumen emittit usque ad fines ultimos terrae.

Una enim, in angulo illo terrarum, quem in ripa Tiberis, per Lateranense foedus, Romanus Summus Pontifex reliquum sibi esse voluit liberum regnum, e tot nempe dominis, quibus diuturna avorum pietate per saecula ditatus esset, manet adhuc cuius fideli peregrino meta communis, communisque ovis centralis lapis, unusque pastoralis magisterii fons, Fideique inextincta ardet taeda atque veritatis.

Cuius videlicet una luce humanum genus omne, densas inter tenebras procellas que cupiditatum, errorum, peccatorumque, eum inveniat adhuc portum pacis ac salutis in quem iussu divino contendat.

Illuc igitur, circa paternam ac candidam Christi Vicarii dignitatem, cum Purpurato Senatu Principum Ecclesiae, pulchre convenit varietas tum Episcoporum tum cleri alterutrius sacrorumque rituum multarum gentium, collegiorumque levitarum ex omninatione; illuc reverentes reges spectant populorumque duces, nec secus optimates atque plebei, docti indoctive, proceres et humiles, sacrae virgines recensve nuptiae, pueri puellaeque certatim. Qui ex omni terra ac gente, ultra citraque maria cuncta convenient, ut communis Patris

ore manuque laudem accipient vel hortatum, monitum vel solatium, consilium, auspicium, benedictionem. Montes enim ac maria superant verba eius, qui Apostolica voce docet, admonet, incitat ad bonum, fraudem iniustiamque condemnat, familiam templicamque tuetur, opifices patronosque conciliat, potentes fraenat, confirmat humiles, unaque semper eademque magnitudine cordis omne filiorum infornium infelicitatemque amplexatur, cumque eis una dolet, obluctat, orat, tot licet inter commotas in Ecclesiam pugnas et excita odia, non unquam diffisus Illius praesidio, qui vicit mundum, quique se Ecclesiae suae adfuturum spopondit usque ad summationem saeculi.

Quamobrem Romana fata non nisi Christi Vicario mancipantur, eique adsunt atque obsequuntur in metu ultra terrenam nullius unquam fato alterius superanda urbis. Ierusalem namque sacerque olim populus non amplius existant urbs aut populus Dei: ex quo enim Roma facta est nova Sion, factus inde est Romanus omnis populus qui vivit Fide Romana.

Quare, etsi multae florent urbes Roma ditiores vel frequentiores civibus aut ambitu multo latiores, quibus gentes multae superbiant; ac licet varia gentium historia civitates aliquando exstiterint nostra doctiores, urbs tamen ac civitas aeternae Sapientiae, Veritatisque sanctitatisque domicilium, civibusque suis adeo alta sedes, ut eos usque ad caeli limen extollat una Roma est,

. . . . .  
sacra condita terra  
Heres qua summi sedeat per saecula Petri.<sup>12</sup>

Latine vertit I. ANTONELLI COSTAGGINI.

<sup>12</sup> ALIGH., Inf., II, 23-24.

<sup>1</sup> Carmen hoc Emo Purpurato Patri I. B. Nasalli-Rocca, Bononiensi archiepiscopo, dicatum, a clarissimo atque piissimo auctore recens conditum est, quum lustra decem expleret ex quo primum sacra litavit. Dum ei ex animo vehementissime gratulamur, Deum efflagitamus ut religioni ac latinis literis eum sospitet in aeum feliciter.

<sup>2</sup> Ut apud anticos Romanos per Fratres Arvales triduo quotannis fieri solebant segetum illustrationes, sic apud nos, tribus diebus ante Ascensionem Domini, publicae per agros supplicationes flunt, ut Deus, per depreciationem omnium Sanctorum, mala cuncta avertire dignetur et bona cuncta concedere; qui mos a Mamerto Viennensi in Gallia Episcopo primum inventus, postea per omnes Christianas regiones dimanavit; ipsae vero supplicationes dictae sunt Rogationes, quo nomine apud populos Latinorum proxime heredes adhuc appellantur.

## ROGATIONES<sup>1</sup>

*Cur hodie, solitum praeter, tam mane salutat  
Tam longo ac sonitu, garrula nola diem?  
Vicus, an nescis? Arvalia Festa celebrat  
Ruricolasque pios garrula nola vocat.<sup>2</sup>  
Adspice ut extemplo, domibusque casisque re-  
[lictis,  
Aediculam, properans, villica turba petit!  
Quam, dum Sacra facit tunica venerandus et  
[aevo  
Pastor, flexa genu, fundit ab ore preces!  
His vero expletis, instructaque illico pompa,  
Adspice ut ardentes ingrediuntur iter.  
En, Crux praecedit; gestant hinc inde camilli  
Lumina quorum, auris, fumida flamma micat,  
Dum defert alias lustralem pixide lympham  
Qua Deus e caelo propitietur agris.  
Dein populus temere iunctus, puerique senes-  
[que,  
Matres atque nurus, ordine utrimque venit.  
Ultimus egreditur solemni in veste Sacerdos  
Et pompam claudit vultu habituque gravis.  
Fauste Aurora polo fulgens matura sereno,  
Atque auro tingens culmina celsa procul,  
Nunciat haud dubie, pariter cum luce diei,  
Rite peregrinis prospera quaeque fore.  
Frigidula in faciem spirat modo quae levis aura  
Confirmat vires, purpurat atque genas.  
Vix ergo egressus, sat clara voce, Sacrorum  
Sedulus antistes, carmina sancta movet.*

*Queis itidem coetus subito pia verba reponit  
Ore sed, incultus, prorsus hiante canens;  
Qua voce immani praecelsus personat aether,  
Fida Echo hinc illinc mox iterante sonos.  
Sic, alternatim, pergunt sua vota precesque  
Fundere; et in primis poscitur ille Potens  
Cuius ad imperium profert sua munera tellus  
Pronaque Cui parent cuncta creata simul;  
Divinae dein Matris opem columenque Mariae,  
Angelici inde chori Caelicolumque petunt  
Omnium, et illorum Qui, mundo erroribus acto,  
A Christo missi, vera tulere nova,  
Et Qui, fundentes Christi pro nomine vitam,  
Aeterna a Domino promeruere bona,  
Tandem Qui, in terris, apicem virtutis adepti,  
In Caelis, merito, nunc velut astra micant.  
Interea, ut primi sparguntur lumina solis,  
Scena remutatur, gaudia fertque nova;  
Roris enim guttae, radiorum verbere tactae,  
Collustrant gemmis herbida quaeque loca.  
Ut laeta adrident promissis messibus arva  
Ac, frondes inter, blandula garrit avis!  
Anne velit modulos modulis sociare catervae  
Aut etiam sacras condecorare preces?  
O pia, quae Domino laudes scis promere dignas  
Quanta homines belle parva magistra doces!  
Undique prata virent stellata papavere; cuncta  
Muneribus Florae quin variata nitent.  
Euge! Crataegus<sup>3</sup> olens hinc inde ex sepibus  
[halat  
Atque odor agrestis spirat ubique vagus.  
Dulces deliciae, mire quae incommoda turmæ  
Impensi relevant temporis atque viae!  
Sic hilares pergunt at, nunc, iterato rogantes  
Ut Deus avertat cuncta perenne mala;  
Praecipue vero ut dira fame liberet ipsos,  
Liberet et bello, pesteque lethifera,  
Et terraemotus clades, et turbinis iram  
Inde averruncet, fulguris atque metum.*

<sup>3</sup> Linneus, naturae investigator clarissimus, hoc nomine usus est, ex Graeco fonte detorto, ad frumentum olentissimum designandum quo potissimum sepes formantur quemque Itali « biancospino », Galli « aubépine », appellant. Liceat ergo et aliis hoc ipso nomine uti, etsi in Lexicis Latinis non inveniatur.

Nec miltunt simul ut caelo Pater usque beni-  
[gnus,  
Quis opus est natis, det bona cuncta super.  
Audi qua pacis, placidae qua munera vitae  
Christiadum populis voce sonante rogant!  
Quanto etiam trepidi cordis fervore precantur  
Ut terrae fructus donet, et usque tegat!  
Hoc etenim querunt; haec pompa huc respicit  
[ipsa  
Huc varii cantus, huc pia vota virum.  
Nil igitur mirum, solito si more Sacerdos  
Sistens, dum comites genua plicant humiles,  
Lympha lustrali plantis benedicit et agris  
Ut sua, quae debent, pinguia dona ferant.  
Nec sola haec statio; quoties nam stipite ab alto  
Crux micat ex oleae frondibus apta novis,<sup>4</sup>  
Paulisper toties simili ratione morantur,  
Privato ei Pastor dum benedicat agro.  
Quam vero hinc gestit dominus! Fors crescere  
[pingues

Mente sua fruges iam putat, immo videt...  
Dein iter et cantus certo prope corde resumunt  
Spe non delusos ominibusque fore.  
Nam modo spes alit agricolam; modo Numine  
[fusus  
Contendit, sudat, quaeque molesta subit.  
Cum vero, haec praeter, lustralis lympha si-  
[mulque  
Verba Sacerdotis iam sata in arva cadunt,  
Tunc timor omnis abit, tunc illi iam area defit  
Messibus, et vino plena apotheca fremtit.  
Haud aliter soles post acres, imbre ruente,  
Mox frutices gemmant, arida prata virent.  
Ast etiam pompe exsortes venerantur eentes,  
Tantus ruricolis est pietatis honor!  
Quot sponte ingenuae fidei spectacula praebent  
Ipsis quae fatuis corda movere queant!  
Cum forte ante casas sacrum pertransit agmen,  
(Non omnes etenim deseruere domum)  
En, matres cruce se signant signantque pisinnos  
Qui propriae sugunt lac genitricis adhuc.  
Et, si quando trahens occurrit plaustra bubulcus,  
Secedit, sistit, detegit atque caput.  
In campus circa, cum iam ver urgeat altum,

<sup>4</sup> Post Dominicam Palmarum per singulas fere domos oleae benedictae distribuuntur; ex duobus istarum ramis crucis sunt quae tum ferreis fenestrarum clathris, tum solitarii stipitibus per agros appenduntur quasi contra turbines et maxime contra grandinem praesidium. Is vero mos, aliquae omnes in carmine descripti, in vicis padanae vallis fere obtinent.

Villicus hic alacer semina mandat humo;  
Illic, forte diu intactam, proscindit aratro  
Terram ut mox rutilet rursus amoena satis;  
Aut etiam saturare fimo festinat anhelus,  
Aut sudibus vites vimine rite ligat.  
Naturae species, coram quae panditur alma,  
Cunctorumque oculos illico sponte trahat,  
Istos non tangit; vixdum sed carmina longe  
Excipiunt pompe, protinus ecce suum  
Quisque relinquit opus, tacita quoque mente re-  
texens  
Vota pius, labiis quae pia turba refert.  
Cerne: boves ipsi adspiciunt, quasi nempe fu-  
tura  
Pompa sit illa iugi dulce levamen eis.  
Sic, varia haec inter pietatis apertaque signa,  
Quae patrum firmant rure stetisse fidem.  
Quando suae venit pastor ditionis ad oram  
Ac remeare domum iam calor ipse monet  
Non eadem stricte relegit vestigia prudens,  
Sed, paria ut cunctis sint benefacta precum,  
Semita deligitur brevior, vel amoenior umbris,  
Nec minus ingenuis laetificata notis.  
At nova contingunt etiam; dum semper iisdem  
Cantibus instantes progrediuntur enim,  
Territus, en, subito lepus insectante molosso  
Excitus latebris, iacta sagitta velut,  
Transilit inde viam magis apta cubilia querens.  
Felix! Continuit visa caterva canem,  
Sicque sacer ritus fato servavit acerbo  
Bestiolam nulli quae nocitura fuit.  
Terminus at pompe, satis alto sole, propinquat;  
Iam oppiduli turrim, iam sacra tecta vident.  
Audin? Sacri aeris redeuntes voce salutat  
Festivum renovans garrula nola sonum.  
Aediculam intrantes igitur, solvunt ibi coetum  
Contenti, et remeant quisque subinde domum.  
Nec tamen hic cessant; immo, ut sua vota vige-  
scant,  
Suspensum breviter quisque resumit opus;  
Quod, durum licet et validis, praedulce videtur  
Post imploratum Numinis auxilium.  
At, cum nox venit et placidae dant membra  
[quieti,  
Quae, mittente Deo, somnia laeta vident!  
En, gravidis flavet locuples iam campus ari-  
[stis;  
Iam segetum cumulis horrea pressa gemunt;  
Ut nutat vitis tumidis tot onusta racemis!  
Ut patulo spumant vina novella lacu!  
Dum bona quae cupiunt sic iam praesentia cre-  
dunt,

Proh, qua laetitia corda licenter ovant!  
Quid refert si, experrecti, vana omnia cernant?  
Non se fraudatos nocte fuisse putent.  
Namque Deus semper pietati praemia reddit;  
Nullum ipsis dubium, quip et adiuncta fides.

ANACLETUS TRAZZI.

## HISTORICAE NOTAE

### De priscis Romanorum magistratibus

Sunt qui opinentur regnum iam exordiis constitutum certis finibus praescriptis fuisse magistratibus, consilio, populo, seu rege eiusque administris, senatu patrum, comitiis curiatis. Alii existimant regem et patres veluti fulcrum regni fuisse, nulla facta populo potestate, cuius ideo partes (comitia) serius a rerum scriptoribus fuisse a republica in regnum inductas. Alii vero censem regni constitutionem nonnisi Etruscis esse tribuendam; alii demum reges nihil aliud fuisse, nisi sacerdotes, nulla instructos civili potestate, sed tantum religiosa, uti Rex nemorensis.

Contra postremos notandum, conclamare traditionem universam et concordem ad odium inustum Romanis contra regum nomen non qua regem sacrorum, sed qua principem unicum, utque vitalicium civitatis. Contra superiores concedimus Etruscos praeprimis non parum contulisse ad expoliendum ornandumque regium institutum; quod tamen iidem Romam immigrati invenerunt. Latina enim aut Indo-europaea nomina sunt, quibus vetustiora instituta indicantur: ita rex, regnum, interregnum; tribus, curia, decuria; pontifices, augures, flamines.

Primam opinionem quod attinet, nemo non videt alio prorsus modo res semper processisse aut processuras esse; civitates enim et regna primitiva nonnisi lento gradu lentave evolutione efformantur. Altera

opinio nullo fundamento nititur ut penitus populum excludat; ceterum novimus comitia curiata habita semper fuisse institutum vetustissimum.

In regno magistratus supremus est Rex; regis notae sunt ut sit unus, vitalicius. Quod ad primam, iam monuimus non esse excludendum aliquando, sed praecario, duos fuisse reges; id enim innuere videtur Romuli e Remi diarchia, Romuli ac Titi Tatii; id bini consules, qui, exactis regibus, loco regum creantur. Quibus exceptionibus adnotatis, affirmare possumus, regni primam notam fuisse, ut penes unum esset summa rerum, quae externam singularum gentium et communem vitam resicerent, in primisque religionem.

Regis enim primitus munus fuit interpretandi deorum voluntatem circa urbis, regni totius, non singulorum aut singularum gentium vitam; quod adeo eius munus erat, ut quum rex morte corripitur ad patres redeunt auspicia, ideoque cum auspiciis imperium, quod patres « interreges » exercent; et quum reges exacti per consules in regimine substituuntur, rex non penitus deletur in constitutione, imo restat unis rebus sacris ordinandis, exercendis, appellaturque « Rex sacrorum, Rex sacrificulus ». Itaque rex ante omnia sacerdos, uti constat e concordi traditione: itaque Rex sacrorum vel Rex sacrificulus, qui ineunte republica instituitur, nihil aliud est nisi heres regum, quod ad eorum spectat praecipuum atque altissimum munus: ideo Romulus appellatus est: « primus augur ». Itaque respublica decerpit a rege potestatem civilem, quam binis dedit annuis consulibus; rex permansit uno instructus officio sacerdotali; atque ne is rex deminutus, rex sacrificulus, spem ullam foveret recuperandi civilis imperii, vatabatur fungi quovis publico munere, atque certis ritibus statuisse diebus post sacra litata cogebatur currum concendere rapitique a curia discedere.



Praeterea natura ipsa sacra appetit etiam in vestigiis iuris, quae in recentiore iure deprehenduntur. Ius publicum in republica quoque est auguribus concreditum; pontificibus ius privatum et, saltem prioribus temporibus, ipsa iurisdictio; quem constitutio innovanda est, praesertim convalescente plebe, innovatio quaelibet foedere sacro sacroque iure iurando consecratur; auspicium praeest imperio, continet imperium; pontifices utuntur praetexta et lictoribus, ius habent vitae et necis in vestalem eiusque complicem.

Et quia rex voluntatem numinis interpretatur, eius potestas nullos ferme limites patitur; paene infinita est, regiumque nomen natura sua non peculiarem quamdam imperii formam, ut hodie, designat, sed imperium ipsum in integritate sua, nullis finibus coarctatum: imperium, non dominium; dominium enim non est nisi penes patrem familias; et si quando rex de personis, de rebus disponit, in personas animadvertis uti numinis interpres; de agro publico disponit non ut dominus, sed uti civitatis imperium tenens, et in bonum civitatis. Praeter regem alii magistratus in regno non sunt ulli, neque inferiores; rex autem ministros suos habet, quorum opera iuvetur tum in sacris, cum in ceteris publicis muneribus.

Regii imperii insignia non eadem semper fuisse censemus; quae vulgo numerantur, ab Etruscis inducta serius videntur. Ea sunt: vestis purpurea, « mulleus », qui erat calceus ruber, quo et consules in republica utebantur, regia domus in foro, quae regis quoque sacrorum sedes deinde fuit, thronus, currus, fasces et lictores ad ius vitae et necis indicandum. De sceptro, corona, diadema non constat.

Altera regis nota est, uti diximus, eum esse vitalicium: regis enim imperium non cessat nisi per mortem aut abdicationem; potest tamen precario ad aliquod munus delegari: rex enim sacrorum ad vitam crea-

tur, itemque vitalicia cetera sacerdotia sunt. Rex igitur ideo praeest civitati qua sacerdos, quia deorum voluntatem erga civitatem interpretatur: is religionem et cultum publicum regit, is sacra publica celebrat, is ideo ius condit, quia id promittit quod numina imperant. Cultum tamen rex per alios potius curat quam per se ipsum.

Rex hic sacerdos magister populi est rectorque civitatis: ideo ea quae ad constitutionem civitatis, regni spectant, rex curat; is est publici iuris fons unicus; quem autem gens orta sit foedere quodam gentium, imperium regium hac in re magnam vim exercuisse non dixerim; quae tamen in dies crevit usque ad tyrannidem Etruscorum regum.

Rex personam gerit civitatis, praesertim in re militari, quatenus sacerdos; is auctoritate videt num bellum indicendum sit, gerendum, componendum cum finitima quaque civitate: hoc sensu rex habet ius belli et pacis; is exercitum dicit ad oppugnandum — (ire praedatum) — aut ad obsistendum: exercitum constituebant gentiles et cuiusque gentis clientes qui armis apti essent; cohortes gentis; tribus autem nuclei plurium gentium, quae simul habitabant.

Ius privatum quod attinet, id fere familiae, gentis moribus continetur: « fides, fas, mores » definiunt iura privata: rex ea non respicit, quippe quae non vitam publicam, sed privatam tantum attingant. Quum tamen rex numina et interpretetur et conservet, negandum non censemus regem interrogari interdum etiam a privatis quae nam de certo negotio esset deorum voluntas, quinam mores, quaenam traditio, quid fas; id enim et collegium pontificum, cui rex sacrorum praeerat, praestitit post exactiones reges.

Rex cives iudicat; is enim et religionem et civitatem tuetur; iudicat quia qua sacerdos videt quae religionem offendunt, ideoque et quae civitatem, quippe quae di-

vinitus constituta. Ideo iudicium sacram omnino induit notam, poenaque purificatione prae primis intendit, et « supplicium » vera expiatio erat ac certa quaedam deorum placatio.

Nativo suo munere rex iudicat de crimen publico.

Maxima crimina publica sunt « perduellio » et « parricidium »; perduellionis crimen convincebatur qui civitatem patriam prodidisset, qui hostili animo in patriam esset; perduellionis igitur crimen rex cognovit qua civitatis et pater et defensor.

Parricidium ad patrem refertur: initio eum tenet qui patrem interficit; deinde etiam patrem qui filium; postea parricidium interdum et pro homicidio sumitur. Illo in casu rex, pater civitatis, de parricidio cognoscit quia eadem laesa est in potissimum membris suis; isto, ne scelus inultum maneat; quem enim pater supra se potestatem nullam haberet praeter regem, ni rex id crimen ultus esset, inultum remansisset; quod abnorme et impium videbatur: homicidium autem non erat initio crimen publicum, ideoque de eo regem per se non cognovisse censemus.

Praeter perduellionem et parricidium alia crimina publica fuisse non certo constat; exstisit tamen ex eo credimus, quod tempore historico delicta quaedam sunt, quae licet iure poenali non contineantur, « piacula » tamen expostulant: ea sunt nonnulla quae religionem, ritus offendunt; sed ex quo religio a iure distincta prius, deinde divisa prorsus fuit, iam ut crimina non habentur amplius.

Poenas rex statuit quae vult: mortem ipsam; ius enim vitae et necis commune habet cum patre familias et cum patre gentis.

(Sequitur).

S. ROMANI.

*In audaces non est audacia tuta.*

OVIDIUS.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS<sup>1</sup>

### De supinis

a) Supina in *um* iunguntur verbis, quae motum significant.

EXEMPLA: Neque ego vos *ultum* iniurias hortor (SALL.) — Rus *habitatum* abiit (TER.) — Me fessum sol acrior ire *lavatum* admonuit (HOR.) — Praefecti regis Persae legatos miserunt Athenas *questum* quod Chabrias adversus regem bellum gereret cum Aegyptiis (CORN. NEP.) — Suessam Pometiam *exsulatum* abiit (TIT. LIV.) — Quid est? Crasse, imusne *sessum*? Etsi *admonitum* venimus te, non *flagitatum* (CIC.) — Divitiacus Romam venit auxilium *postulatum* (CAES.) — Sub lucem *pabulatum* *lignatumque* et *praedatum* quidam dilapsi fuerant (TIT. LIV.) — Legati in castra Aequorum venerunt ex foedere res *repetitum* (TIT. LIV.) — Amicos it *salutatum* ad forum (PLAUT.) — Galli gallinacei cum sole eunt *cubitum* (PLIN.) — Bituriges ad Haeduos legatos mittunt subsidium *rogatum* quo facilius hostium copias sustinere possint (CAES.) — Casino te *salutatum* veniebant, Aquino, Interamna (CIC.) — Quis est qui nescierit venisse eum tibi obviam *gratulatum*? (CIC.) — Exclusi eos quos tu mane ad me *salutatum* miseras (CIC.) — Athenienses Delphos miserunt *consultum* (CORN. NEP.) — Vidimus Tiberim ire *deiectum* tempora Vestae (HOR.) — Philippus *spectatum* ludos ibat (CORN. NEP.) — Deinde eo *dormitum*, non sollicitus mihi quod cras surgendum sit mane (HOR., Sat., I, 6) — *Spectatum* admissi, risum teneatis, amici? (HOR., Ars poet., 5) — Non ego Graiis *servitum* matribus ibo (VERG., Aen., II, 786) — Proficiscitur in loca sola *obsessum* turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnes praesidium posuerat (SALL., Iug., 103)

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

— Perdiccas Aegyptum oppugnatum aduersus Ptolemaeum erat profectus (CORN. NEP., *Eum.*, 3) — Suffragatum secunda classis vocatur, (CIC., *Phil.*, II, 33) — Ne sanguinem nostrum largiantur et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant (SALL., *Cat.*, 52) — Volsci et Aequi praedatum extra fines exeunt (TIT. LIV.).

b) Supina in *u* adhaerent certis vocabulis,

EXEMPLA: Omnia praeteribo quae mihi turpia *dictu* videbuntur (CIC.) — Quod optimum *factu* videbitur, facies (CIC., *Attic.*, VII, 22) — Si brevior erit, dilucidior et *cognitu* facilior narratio fiet (CIC., *Herenn.*, I, 15) — Eo anno nihil dignum memoratu actum (TIT. LIV.) — Peditatu se fore contentum dicit, neque in acie dimicaturum, sed perfacile esse *factu* pabulationibus Romanos prohibere (CAES.) — Pleraque eorum quae retuli quaeque referram, parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum (TAC., *An.*, IV, 32) — Cyclops ipse arduus, altaque pulsat sidera, nec *visu* facilis, nec *dictu* affabilis ulli (VERG., *Aen.*, III, 619) — Nefas est *dictu* miseram fuisse Q. Maximi senectutem (CIC., *Sen.*, 5) — Sapiens *vitatu* quidque *petitu* sit melius causas reddet tibi (HOR., *Sat.*, I, 4, 45) — O rem *visu* nefariam! (CIC.) — Libertatis restitutae dulce *auditu* nomen est (TIT. LIV.) — Multa incident dura *toleratu* (SEN.) — Faeda *visu* atque horrenda irati est facies (SEN.) — Humanus animus cum ipso Deo, si hoc fas est *dictu*, comparari potest (CIC., *Tusc.*, V, 13) — Palpebrae, oculorum tegumenta, mollissimae sunt *tactu* (CIC.) — Virtus difficilis *inventu* est (SEN.) — Nefas est *dictu* quod est inhonestum *factu* (CIC.) — Quid iucundius est *auditu*, quam oratio pulchris sententias ornata? — Per id tempus fere, Caesaris exercitui res accidit mirabilis *auditu* (CAES.).

### De synonymorum usu

a) Synonymorum usus sermoni aliquando quidem perspicuitatem et vim confert, saepe vero numerum, copiam et maiestatem.

EXEMPLA: Societas hominum et *communitas* evertatur necesse est (CIC., *Off.*, III, 4, 22) — Corporis nostri *figura* et *forma* (CIC., *Fin.*, V, 12, 35) — Nihil natura habet praestantius, nihil quod magis expertat, quam *honestatem*, quam *laudem*, quam *dignitatem*, quam *decus*: hisce ego nominibus unam rem declarari volo; sed utor, ut quam maxime significem, pluribus (CIC., *Tusc.*, II, 20, 46) — *Moderator* et *dux* (CIC., *Tusc.*, I, 28, 68) — *Arbitrium* et *iudicium* (CAES., *Bel. gal.*, VI, 11) — *Dubius* et *incertus* (CIC., *De orat.*, I, 20, 92) — *Reconditus* et *abstrusus* (CIC., *Brut.*, 11, 44) — *Ieiunus* et *nudus* (CIC., *De orat.*, I, 50, 218) — *Orare* et *obsecrare* (CIC., *Pro Planc.*, 42, 104) — Irati *rogandi orandique* sunt ut, si quam habent ulciscendi vim, differant in tempus aliud, dum defervescat ira (CIC.) — *Deverticula flexionesque* (CIC., *Pis.*, 22, 53) — *Praestigiae et captiones* (CIC., *Acad.*, II, 14, 45) — Summa *dulcedo* ac *suavitas* (CIC.).

b) Quum usurpantur duo verba synonyma, alterutrum saepe adverbio redditur.

EXEMPLA: Omnes te et *hortamur* et *obsecramus* (= instanter hortamur) ut vitiae, ut saluti tuae consulas (CIC.) — Verris pater defensores Sthenii convenit; *rogat* eos atque *orat* (= enixe orat) ne opugnent filium suum (CIC.) — Senatus *commotus perturbatusque* discedit (CIC.) — At illi, *debiti* iam morti *destinatique* alia nova scelera moliti sunt (CIC.) — Unum *petunt* ac *deprecantur* (CAES.) — Exercitum *caesum fusumque* cognovi (CIC.) — Extra vallum egressi *fuderunt* fugaruntque hostes (TIT. LIV.) — Cogitabat nihil aliud, nisi quemadmodum re-

gem *spoliatum expilatumque* dimitteret (CIC.) — Omnes virtutes inter se *nexae* et *coniugatae* sunt (CIC.) — Ex materia omnia *expressa* atque *efficta* sunt (CIC.) — *Cognitum competumque* mihi est, alieno in Caesarem animo esse milites (CAES.) — Studium et laborem *profundere* et *perdere* videor (CIC.) — Sub vesperum *dispersi* ac *dissipati* discedunt (CAES.) — *Praecipit* atque *interdicit* (CAES.) — Haec cernere et videre non possumus (CIC.) — *Cupere et optare* (= vivide cupere) (CIC., *Phil.*, XIV, 1, 2) — *Tueri et defendere* (CIC., *De orat.*, I, 38, 172) — *Perpetui* et *perferre* (CIC., *De orat.*, II, 19, 77) — Ex quibus id quod volumus *efficitur* et cogitur (CIC., *Leg.*, I, 13, 33) — *Nexus* et *iugatus* (CIC., *Tusc.*, III, 8, 17) — Genus est belli eiusmodi, quod maxime vestros animos *inflammare* atque *excitare* debeat (CIC., *De imp. Pomp.*, 2, 6) — *Contudi* et *fregi* exsultantis praedonis audaciam (CIC., *Phil.*, XIII, 13, 29) — Mulatorum te oculi et aures *speculabuntur* atque *custodient* (CIC., *Cat.*, I, 2, 6) — *Cognoscere* ac *percipere* (CIC., *De orat.*, I, 51, 222).

I. JSS.

### DE GYMNICIS LUDIS APUD VETERES

Laudatores temporis acti, qui, praesertim corporum vires, longe meliores fuisse apud veteres quam apud nostros aequales queruntur, nimis parum mores considerant, quibus ludi illi regerentur; qui, si hodie quoque in circo aut in palaestra adhicerentur, omnium indignationem in sese concitarent.

Pueros magistri docent ubique, atque exempla confirmant non fraude aut pecunia comparandam esse victoram, sed constanza et virtute: adversam vero fortunam non taedio aut dolore, sed virili animo susti-

nendam esse. Vitam enim tolerare potius quam abiicere, optime facere melius quam ditari finis sit nobis oportet, ut sapientia monet.

Atqui si cum antiquis ludis comparationem instituamus, aperte patebit quo quidem animo ea certamina maiores nostri inirent.

Ex Vergilio exempla secernimus. Ecce nauticum certamen: naviculae concurrunt quatuor: *Pristim* Mnestheus regit, *Chimeram* Gyas, *Centaurum* Sergestus, *Scillam* Cloanthus. Quercus quae longe in scopulo eminent meta est currentibus. Tuba canit; naviculae vela solvunt. Gyas primus procedit, eum sequitur Cloanthus; postremi Mnestheus Sergestusque veniunt. Dum eunt optime omnia, nulla ira est. At iam meta appetit: Gyas iubet tunc Menoetem gubernatorem navis scopulo quam arctissime adhaerere, et cursum vertere; at ille timens ne in syrtim incidat, latiore orbem describit. Eo modo Cloanthus eius inter navem et scopulum sese immittit et primus evadit. Gyae

*Tum vero exarsit iuveni dolor ossibus ingens:  
Nec lacrymis caruere genae, segnemque Me-  
noetem,  
Oblitus decorisque sui sociumque salutis,  
In mare praecepitem puppi deturbat ab alta.*

Hunc furoris impetum insanum spectant omnes, at quasi ludicrum habent, neque horret quisquam; quinimo

*Illum et labentem Teucri et risere natantem  
Et salsos rident removentem pectore fluctus.<sup>1</sup>  
Ululatus ille atque lacrymae, reliqua etsi  
praetereas quae in certamine contigerunt,  
atque contendentium minae, et Gyas fu-  
rens et Aeneas Teucrique, qui tranquillis  
oculis quasi ludi partem talia conspiciunt,  
mehercule parum laudanda videntur, Domi-  
natores sui minime apparent iuvenes, qui  
tam vehementi ira concitantur, neque le-*

<sup>1</sup> *Aen.*, V, 114 et seqq.

ges unquam didicisse, quibus certamina regi decet, patetque eos ad victoriam per fas et nefas tendere, qui dedecore accepto tantum fletum effundunt.

Mox pedibus certamen succedit, dum humanitatis leges omnes et documenta spreta et conclucata videmus. Nisus, Salilius, Euryalus, Helymus aliique concurrunt. Praecurrit omnibus Nisus; at quum prope metam attingit, sanguine taurorum qui paulo ante caesi fuerant humi labitur. Lapsus tamen Salii sequentis crura comprehendit et agit in terram, eaque fraude Euryalo, dilectissimo amico, qui tertius erat, favet, qui reapse metam primus arripit.

Insolitus tunc fit tumultus. Clamat Salilius medio in circo atque reddi sibi praemium roget, fraude ademptum. Euryalus, qui per amici insidias vicit, deflet, amittendi praemium metu; clamant ceteri deosque obtestantur. Quid vero Teucri tantam spectantes audaciam; quid pius dux?

*Tum pater Aeneas: Vesta, inquit, munera vobis Certa manent, pueri, et palmam movet ordine [nemo:] Me liceat casus miserari insontis amici.*

Sic fatus — quae profecto contra omnem iustitiam sunt, atque omne aequitatis praeceptum aspernantur — rem quodammodo restituere contendit, et:

.... tergum Gaetuli immane leonis  
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus au-  
[reis.]

Quid vero? Num contenti omnes sunt? Evidem fraudolentus ille Nisus, — quis credat? — in medium profert pedem atque praemium fraudis expostulat:

.... Si tanta, inquit, sunt praemia victis,  
Et te lapsorum miseret, quae munera Niso  
Digna dabitis? primam mercis qui laude coro-  
[nam]....

Et pater Aeneas illi quoque arridens satifecit, iussitque clipeum efferri egregia arte insculptum, eique donat.<sup>2</sup> Haec pro-

<sup>2</sup> Aen., V, 286 et seqq.

fecto nunquam in hodierno certamine absque poena admitterentur, atque palam ostendunt aequitatem et virtutem nauci esse apud veteres aestimatam.

De pugna Daretem inter et Entellum similia dicenda sunt, quorum iactantia magna, vanitas ridicula, multa crudelitas apparent. Haec nostris pugilibus omni cura abiiciuntur, ita plane ut gymnica certamina ad quae pueri exercentur eorum dum membris prosunt, virtutem quoque confirment, docentes eos operari et agere in negotiis et studiis virili animo et forti debere, ita ut virtute et constantia vincere in vita quoque vivenda addiscant et horrere fraudem et insidias. Huiusmodi sunt morum emendationes, quas hisce ex ludis assequi iuvat.

X

## EX BATAVIA

### Certamen poetum Hoeufftianum

Accepimus, et libenter edimus:

De viginti quinque carminibus anno MCMXXXVIII ad certamen missis ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit nemo. Sumptibus Legati in volumen recipientur carmina q. t. *Animi Certamen et Mysteria Rerum*, si poetae eorum scidularum apriendarum dederint veniam.

Sequuntur omnium carminum nomina:  
1. *Clavis Aurea*. 2. *Praeclaro Mosellae!*  
3. *Microcosmus*. 4. *Aërii de vertice montis prosilit unda*. 5. *De betula annosa*. 6. *Animi Certamen*. 7. *Ecloga*. 8. *Nix*. 9. *Ardua vincit amor*. 10. *Conticinium*. 11. *Deliciae Maris*. 12. *Hollandiae Luxemburgum*  
A. D. MCMXXXIX. 13. *Ave, Maria!*  
14. *Vercingetorix*. 15. *Dies supremus*.  
16. *Hymnus gratulatorius*. 17. *Meditatio Christi*. 18. *Io triumphhe!* 19. *Dulcis mors!*

20. *Titan seu solis laudes*. 21. *In autumnum*. 22. *Mysteria Rerum*. 23. *Misella Mater!* 24. *Idyllium Natalicum*. 25. *Vindemia seu de Agricolarum Calliditate*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. A. MCMXL mittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Nederlandse Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poetarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato faciendis typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae apririendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1 m. Maii, a. MCMXXXIX.

P. SCHOLTEN,  
Ord. lit. acad. reg. ab actis.

Addere nobis placet, auctores carminum magna laude ornatorum, quorum tituli *Animi certamen et Mysteria rerum*, esse VICTORIUM GENOVESI S. I. et IOSEPHUM MORABITO nostros, quibus quidem ob novum bene partum honorem iterum iterumque gratulamur ex animo.

## NOSTRA RES

Novi ad latinam linguam divulgandam editi commentarii.

Faustis quidem auspiciis novi ad linguam latinam divulgandam edi recens coepiti sunt commentarii, quorum primum locum sibi vindicat index ille studiorum, inquisitionum, exquisitorum de studio usque latinae linguae apud gentes universi orbis, cuius auctor factus est Urbanum Institutum Studiis Romanis provehendis.<sup>1</sup> Huius Praeses, inceptum explicans, quum sit iterum iterumque professus latinum sermonem unum apud cuiusvis disciplinae doctos ubique gentium tamquam auxiliarem linguam adhiberi posse, huiusmodi principii a novo commentario et metam et discessum constitui affirmat; metam dicit laborum huc usque ab Instituto ipso suscepторum, et discessum ad ulterius procedendum in via, quam sibi constituit, ut latinitatis studium et usus efficienter refloescant. Commentarius itaque in unoquoque fasciculo scripta proferet ratione stabili firmaque digesta, cohaerenti quaestionum ordine disposita, quae primae et quasi rei fundamentum videantur.

Igitur, nomine « *Studio et usus latini sermonis per orbem* », locus erit in primis cognitioni circa huius « *problematis* » statum apud gentes singulas; actio undique mota ad latinum sermonem instaurandum sub titulo apparebit: « *pro latina lingua divulganda* »; erit praeterea pars ad latinitatem spectans in scholis secundi ordinis — (nec ea exigua, quippe quae haec schola firmissimum fulcrum est cuiusvis progressionis in studio latinae linguae) —; denique quae epistulas, recensiones, notitias suppeditet.

Re quidem vera, in primo commentarii

<sup>1</sup> ISTITUTO DI STUDI ROMANI. *Per lo studio e l'uso del latino. Bollettino internazionale di studi, ricerche, informazioni*.

fasciculo de studio et usu latinae linguae refertur apud Belgas, Gallos, Germanos, Anglos, Batavos, Hispanos, Helvetios, Hungaros. Scripta plerumque sermone cuiusque nationis redacta sunt; haec vero sequitur summarium latine exaratum.

Quod si quid de latina lingua tum in variis capitibus tum in versionibus adhibita, vel ad optatum finem adhibenda, liceat nobis nonnulla animadvertere, Instituti Praesidi assentimur quidem affirmanti in novis vocabulis creandis quae hodiernae doctrinae necessitatibus respondent, prae oculis habendas esse tum eiusdem doctrinae peculiares notas, tum etiam notas latini sermonis singulares, quae abrogari prorsus nequeunt, ut necessariae claritati incorruptae que ipsius sermonis integritati respondere possimus; at ultra eoque magis contendimus, necesse esse scriptores sensum et vim vocum a Latinis adhibitarum, non raro a sensu hodiernae suae civitatis vocis diversarum, cognoscant atque possideant, quo recte iis utantur.

Minime igitur Italico viro, in cuius lingua verbum *compendiare* est « paucis exponere, explicare, dicere », hoc sensu verbum idem latine adhibere licuerit, ubi sonat: « occidere, quasi compendiaria via ad mortem perducere ». Hercle, in mente certe id non fuit eius viri, qui breviter auctoris locos latine repetiit!

Neve pariter pro « gravibus, probatis testimoniis » quis ea scribat *aucto-rata*; verbum enim *auctoro*, *as*, unde participium *auctoratus*, latine significat « vendere, alicui addicere pretio accepto, mercede conducere ». Item « clerici » non utique *cleri* appellabuntur; clerus enim est ordo clericorum, nec unquam plurali numero eos indicabit qui cultui divino addicti sunt. Et cur *Belgium ac Belgios* nuncupabimus pro « Belgica » et « Belgas » Latinorum, atque *scientificas conlationes* quae « doctrinae adiumenta » Latinis, ipsisque nobis sunt? Quod denique gravius est,

dum grammatices praecepta discipulis inculcamus, ut apud eos nostris scriptis exprimamus ea audacter a nobis negligi?

Seriam igitur latinae linguae et verborum structurae cognitionem ad eius usum renovandum ante omnia suadeamus, nisi aedificium in arena ponere maluerimus.

\*\*\*

Commentarius alter Polonicae « Societatis linguae latine usui internationali adaptandae » vox est, atque inscribitur: LY-GIA, hoc praecipuo fine editus, ut societatis ipsius sodales de iis, quae domi forisque « in mundo Latino agantur, certiores faciat, ceterorum autem animos conciliat allicitatque ». Est in primo fasciculo amplus orationis summarium, quam de lingua latina « universalis » restituenda in sede Varsaviensi « Instituti Italici cultus » habuit dr. Ignatius Wieniewski; est carmen Rod. Nowowiejski in laudem linguae latine; sunt Nuntii recentes, « Periodicorum conspectus », et « Recensio cinematographica »; denique specimen rationis a dre. W. H. D. Rouse Cantabrigensi propositae ad linguam latinam discendam, quae proxime ad rationem illam Berlitz de nostrorum temporum linguis ediscendis accedere videtur. In LYGIAE quoque latinitate passim nova vocabula occurunt aut non satis communi intelligentiae obvia, aut ex arbitrio ac sine ulla necessitate efficta, quorum *sorellam* memorare sufficiat.

In altero autem LYGIAE fasciculo, qui superiore mense Martio prodiit, est quod nos propius attingat. Leo enim Zawadowski nos carpit quod, ni fallimur, de Sinensibus aliquis exteris locis formam in scriptis exhibuerimus, quae in enuntiandi modo confusionem inter varios populos ingerat. Inutilis de re disquisitio nobis videtur, quae facile ad quaestionem de latinae linguae exprimendae ratione transferri posset; circa quam quae sit nostra opinio non semel patefecimus: tenemus nempe

latinae linguae enunciationem non unam eamque firmam semper fuisse, quinimo nec eamdem eodem tempore in singulis locis, in singulis populis, quemadmodum nunc quoque varios populos audimus, quinimo unius ipsius civitatis incolas, suam cuiusque linguam aliter in variis provinciis enuntiantes; qui igitur leges ad rem defigere conetur oleum eum putamus et operam perdere. Quod ad nos Italos attinet, sciat animadversor clarissimus, litteram « c » nunquam sonum *tsh* significare; « ca, co, cu », sonum durum semper praebere, praeterquam quum diphongus efformetur (ex. gr. *caedo*, *caelum*, *coepio*, *coetus*) « ce, ci » mollem; quum durus sit, additur « h », ita ut « ch » sonum eumdem habeat atque « k »; quae litera in Italis vocabulis minime est, imo in latinis ipsis defuisse constat, nempe ad quaedam extera verba tantum scribenda adhibitam. Et hic adnotare iuvat neque in illis locis relatis, neve alibi unquam nos « *Nancchino* », sed « *Nanchino* » scripsisse; non enim oportebat... sono duro aciores vires addere. Quae autem de litera « c », et de litera « g » est Italis nobis dicendum.

Quid igitur? Quum de locorum nominibus tam varia sit apud varias gentes scriptura, si eam uniformem inducere volamus, cur non sequamur quam Ecclesiae Catholicae ordo, seu « hierarchia » per orbem universum diffusa, non morose effinxit in suaque « acta » invexit? Quumque sonorum enuntiatio ex cuiusque gentis natura varia late sit ac multiplex, diem exspectantes... quo natura, furca expulsa, tamen usque non recurrat, eam a disputationibus nostris seponamus, sorte contenti doctorum lectioni scientiae specimina offerendi sincero latino sermone exarata.

\*\*\*

SOLATIUM ANIMI alliciens titulus est alias commentarii, a Kelmensis publici progymnasii coetu « Antika » editi, humili

quidem forma, quia « dactylographio » est scriptus et per « polygraphum » impressus; at amplissima laude digni, quippe a discipulis fere unice exarati, quin etiam illustrati figuris. « Exerceamur — inquietum — ut nostras sententias possimus non solum Lituane exprimere, sed etiam Latine. Scribentes sentietis, collegae, linguam latinam esse sonoram et pulcherriam. Hoc exercitium vobis utile erit per totam vestram vitam ». Non itaque quis alta hinc repetierit, neque genus dicendi exquisitum et minime vulgare; est, e contra, simplex et submissum, atque amorem patriae latineque humanitatis spirat.

Bene! parvuli amici; *durate et vosmet rebus servate secundis!*

I. F.

## ANNALES

### Post Germanicos recentes eventus

Quae circa recentes Germanicos eventus Anglicum civile gubernium per Chamberlaini praesidis verba senserit, in superiori recensione nostra attigimus; hodie addendum est, exorta disquisitione de libera Danzicae civitate, Angliam per fidem Poloniae datam, sese huius reipublicae libertati cauturam, mutatam agendi rationem hucusque a se habitam aperte patet. Hinc Hitlerus, in oratione Wilhelmsraven in urbe dicta, circumseptionis accusavit Angliam, addens navale foedus cum Anglia initum ad id per se fuisse, ut ostenderet voluntatem suam quolibet bellum cum Anglia vitandi: ipsum itaque foedus unice intelligi posse si voluntas eadem esset utriusque partis: fore igitur ut Anglica deficiente, necessario sequatur foedus ipsum iri abruptum.

Post dies aliquot Roosevelt, Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae Praeses, ad Germaniam Italiamque litte-

ras misit, quarum certiores fecit alias Europae nationes, quaerens utrum fidem praestare possint, sese non aggressuras vel invasuras territoria aut possessiones variarum Europaearum gentium sui iuris viventium: hinc tantum certa, vel non, pax per plures annos in universi orbis solamen proveniet.

Dum Anglia et Gallia plaudunt, Mussolinius, Italorum negotiorum supremus minister, ex Capitolio, opus inaugurans omnium bonarum artium ostensionis, quae anno MCMXLII Romae fiet, indirecete respondet, caeremoniam illam ipsam testem esse pacifcae Italicae voluntatis, confirmatque civilem rationem «axis» illius, in quo Italiae et Germaniae communitas fundatur, pacis mutuque omnium laboris desiderio respondere; Hitlerus autem, Germanicae reipublicae praeses, varia Europeae imperia interrogat, utrum sese a Germania perversum iri sentiant...

#### Albaniae regnum Italiae addictum

Constat inter omnes, post Illyricum sive Epirotarum regnum, nunc *Albaniae* appellatum, restitutum eique Zog regem praepositum, Italiam ad illius incrementum omnis generis opes suppeditasse; quae tamen potius quam ad civitatis bonum, in ipsis regis familiam sectatoresque verti visae sunt.

Hinc Italia querelae et reclamations; hinc et interni populares motus. Die VII sup. mens. Aprilis, rex ex improviso Tirana urbem caput cum suis reliquit: sequitur rerum turbatio a regia factione inflammata, in Italos praesertim, qui in patrias naves confugint patriam suam pertinentes. Tum Italia ad ordinem restitendum classis milites qui illic erant in terram exponit aliasque copias per aëreas naves celerrime mittit. Ubique ovantes acceptae sunt; quinimo publicus popularium legatorum coetus, abrogato Zog regis, qui interim in Graeciam profugerat,

magistratu, plenis suffragiis Italiae regi Aethiopumque imperatori eiusque successoribus et Epirotarum coronam offert, quam reaperte legatio Romam ei tradit, isque accipit, promittens sese Epirotarum populi ordinem, erga quamlibet religiosam fidem obsequium, itemque civilem progressionem, iustitiam atque cum communium finium defensione pacem tuitur.

Eventus Gallorum animum praesertim perculit, qui auxilium suum finitimi Graeciae et Romaniae regnis offerre maturarunt; quae vero contenta sese ostenderunt datae ab Italia fidei, nihil ipsis ab ea esse timendum.

Anglia autem, ad rem interrogata, declaravit nullam corruptionem ex eventu factam esse foederis Angliam inter atque Italianam recens initi.

#### Ex Hispania

Hispania in unitatem animorumque concordiam restituta ad Communistarum stationibus medendum alacriter intendens, pactioni adhaesit a Germania, Italia et Iaponia in «Bolshevikas» constitutae.

#### Galliae reipublicae praesidis electio

Habitis comitiis ad novum Gallicae reipublicae praesidem eligendum, suffragia iterum in Albertum Lebrun cesserunt. Quod bonum faustumque sit!

POPLICOLA.

## VARIA

#### Veram virtutem in summis difficultatibus tantum apparere.<sup>1</sup>

Semper ita comparatum fuit, eritque porro semper ita, ut qui excellenti virtute in aliqua Republica praestant, ii pacis tempore rebusque negligantur. Vir-

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

tutem enim non modo laus et gloria comitantur, sed invidia quoque; atque hinc fit, ut multi non aequare modo ausi sint se illis qui insigni virtute excellunt, sed etiam anteponere. Exemplum quo probare istud commodissime possumus, suppeditabit inter ceteros Thucydides, Graecus historicus. Nam quum bello Peloponnesiaco Atheniensium civitas Spartanos subegisset, ac fere totius Graeciae imperium comparsasset, ad tantum fastigium evecta est, ut de occupando Siciliae imperio cogitaret. Quae res quum in deliberationem venisset, Alcibiades, non tam publici boni, quam sui commodi rationem habens, eam suadebat, quod futurum omnino speraret, ut ipse imperator ad id bellum deligeretur. Sed Nicias, qui summa virtute apud Athenienses excellebat, hoc bellum dissuadebat. Et ut populus certo consideraret se non tam privati commodi, quam boni publici causa id facere, asserebat in pace Athenis multos cives esse qui ipsi praeferrentur; in bello se primarium fore. Ut hinc cernere liceat antiquissimum esse hunc morbum, quo Respublicae omnes ex invidia laborant.

Sed hinc fieri etiam solet, ut iidem illi, quorum virtus pacis tempore negligitur, indignentur et iniqua ferant quum aut aequali vident sibi, aut anteponi illos qui virtute sunt inferiores. Ex qua re multa saepe mala oriuntur. Nam qui negligi virtutem suam vident, atque contemni, ob tranquillitatem publicam, resque nimium secundas Rempublicam perturbare persaepe conati sunt. Sed qua ratione mederi hisce malis oporteat, etsi saepe multumque cogitarim, tamen id unum remedium praestantissimum mihi videtur: Primo, si non patiaris ut cives admodum ditescant, ne forte opes sine virtute quempiam nimium extollant. Deinde si datio quaedam sit bellum perpetuo gerendi, ut viris virtute excellentibus liceat exercere fortitudinem suam, veluti Romani fecerunt, in

primis praesertim annis. Nam, quum perpetuis bellis implicati essent, singulis facultas dabatur gloriam laudemque promerendi, pro virtutis sua ratione; nec quisquam indignus ad gradum aliquem dignitatis insignem ita evehi poterat, quin rei indignitas statim appareret. Ceterae urbes atque Respublicae, quae raro bellum gerunt, ab hoc malo liberae esse non possunt; itaque semper etiam metuere debent, ne contemptam virtutem vindicta sequatur; praesertim si ii qui negliguntur vindictae cupidi sint et clientelas alias habeant. Roma, etsi aliquandiu hoc morbo libera fuerit, tamen eadem ipsa tandem, confessis bellis Punicis, et devicto Antiocho, quum nullus metus superesse videretur, multos deligebat exercitus duces, non tam ratione virtutis eorum, quam gratia ea, qua apud populum valerent. Paulus Aemilius certe aliquoties consulatum petens repulsam passus est, neque ad illum gradum pervenire potuit ante Macedonicum bellum; quod quum arduum atque difficile videretur, omnium consensu ei demandatum fuit.

(Sequetur).

#### Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

*Oryza odoratis tuberibus condita.*

*Thynnus in pulmenta minutus, elixus et iurulentus.*

*Faseoli Italorum more in patina decocti.*

*Agninae costulae assae cum acetariis.*

*Scriblita Ianuensis.*

#### Locosa

TUCCIUS amico:

— Stomachus meus ita est validus, ut in promulside centum et ultra ova sorbere valeat.

— Bombax!

— Utique, sepiacea.